

Tunc poena aeterna punit, quando filii parentum culpas imitantur; unde si illis sunt similes in peccato, iustitia est, ut assimilentur etiam in supplicio. Tunc punit poena temporaria, quando punit ad tempus in filio peccatum patris, quia filius est aliquid patris, & hoc facit ad filii emendationem, aliquando etiam ad terrorem, ne patris iniquitatem imitetur. Unde si Exodi 20. 5. dixit Deus: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem in filios*: Ezechiel. etiam 18. 14. promissit: *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quae fecit, timuerit, & non fecerit simile eis ... iudicia mea fecerit, in praeceptis meis ambulaverit, hic non moritur in iniquitate Patris sui, sed vita vivet*. Ira tandem Deo tribuitur ut effectus vindictae iustae de peccatis hominum, non vero ut passionis excessus. Vel clarius accipitur pro punitione, quia homines, ut plurimum, quando puniunt, irascuntur: unde in Deo potius est appellatio, quam proprietate. Nec semper in homine ira est culpabilis, sed tantum quando a ratione aberrat. Quando vero, ad instar boni militis, rationis sequitur imperium, virtus est, non culpa, & zelus proprio nomine appellatur.

Pro Pulcritudine Dei, pauca modo subnectimus. Non solum illam agnoverunt Patres, verum quoque Philosophi. Plato in Phaedone sub nomine *summi pulcri*, in Phaedro, in Hippia maiore, atque etiam in Symposium, sub nomine *idea pulcri*, ut observavit Cyrillus lib. 3. in Julianum, & sub metaphora *profundi pulcritudinis pelagi*, divinam pulcritudinem manifestavit. Eadem habere Plotinus Enneadis 6. lib. 7. c. 32. & 33. Trismegistus, vel quisquis alius sub eius nomine lateat, c. 6. Pimandri, alique Gentiles. Ex Patribus vero Chrysostomus in psal. 41. *Pulcritudo illius beata, ac ab intuitu expertis natura, res est quadam infinita, & nulla ratione superabilis, quae omnem excedit rationem, & omnem effugit cogitationem*. Lactantius lib. 6. institut. c. 2. ex solis consideratione divinam pulcritudinem contemplatur. Basiliius hom. 6. in Hexameron. eadem similitudine utitur. Augustinus hom. 38. ex 50. *Si pulcher est mundus, qualis artifex mundi?* Et tandem aliorum Patrum testimoniis missis, cum eodem Augustino exclamemus lib. 10. confess. c. 27. *Sero te amavi, pulcritudo tam antiqua; pulcritudo tam nova, sero te amavi. Quae vox semper vivida in cordibus nobis deberet esse, ac ad excitandum nos ad Dei amorem semper incessans.*

Divinae pariter Scripturae Dei pulcritudinem ostendunt. Psal. 49. 2. *Ex Sion species decoris eius*. Cant. 1. 15. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*. Sapientiae 13. 3. *Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est*. Ad quae scribit apposite S. Hilarius lib. 1. de Trinit. *De magnitudine operum, & pulcritudine creaturarum, consequenter generationum conditor conspicitur ... atque ita pulcherrimus Deus est constendus, ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi*. Et Auctor libri de divinis nominibus, qui creditur S. Dionysius Areopagita, c. 4. *Ex hoc pulcro, scilicet Deo, omnibus, quae sunt, suppetit esse*.

Rationibus etiam Dei pulcritudo probatur. Si enim pulcritudo est bonitatis praestantia, & excellentia, quum, ex probatis, bonitas omnis in Deo reperitur, omnisque etiam bonitatis perfectio, cur pulcritudinem in Deo etiam reperiri dubitabimus? Accedit, quod si pulcritudo deficeret Deo, vel ei deficeret ut perfectio, vel ut imperfectio? Primum non dicunt, qui Deum perfectissimum esse fatentur, & in eo consequenter omnem esse perfectionem. Si dicant vero secundum? Quavis corporalis pulcritudo imperfectionem importet, quatenus corporalis est, non tamen imperfectionem dicit, quatenus est pulcritudo. In Deo autem, non quatenus corporalis est, sed quatenus est pulcritudo, invenitur. Tandem, cum P. Magnano dicimus, quum ad bonitatis mensuram Dei etiam pulcritudo pensanda sit: Si quanta, quae, & qualis, sit Dei pulcritudo, volumus cognoscere, quae, quanta, & qualis, sit Dei bonitas, consideremus. Sicut enim est infinita bonitas, sicut per essentiam bonitas, independens bonitas; ita etiam infinitus, suus per essentiam, & independens, bonitatis splendor, qui est pulcritudo. Nec opponatur nobis, quod pulcritudo, quae Deo tribuitur, sit potius metaphorica; & quod metaphorice tribuitur non potest esse summum: Etenim non metaphorice pulcritudinem Deo tribuimus, sed veram; non autem corporalem, bene vero spirituales; quicquid aliter sentiat, atque respondeat Cardinalis de Aguirre. Ad hanc ergo pulcritudinem nosse dirigendus est amor, non vero ad labilem, inconstantem, falsamque, creaturarum, quae in ipso quoque flore marcescit. Sic profecto Bernardus ser. de miseria humana nos excitat: *Quid ergo quavis extra Deum? Quid desideras praeter illum? Quid tibi placet sine ipso? Ipse fecit*